



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Pro Calendario Gregoriano Dispvtatio Apologetica**

**Busaeus, Johannes  
Roest, Petrus**

**Mogvntiæ, Anno 1585**

VII. Probatio Tvbinc.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43749**

fidelissimus vetustatis (vti eum vocat Caluinus) interpres Au-  
gustinus, non putauit eam euidenter conuictam esse, nisi calculo  
quoq; Romani Pontificis repudiaretur.

CXCIX. Ante Pelagianos verò, cum olim maximæ & quā-  
plurimæ synodi, ipseque Cæsar pro Arianis magno furore & suc-  
cessu pugnauisset, tamen paucæ Occidentis Ecclesiæ, quæ sedi  
Apostolicæ adhærescebant, tandem victoriam exciso Arianismo  
obtinuerunt.

CC. Et vt ad exemplum nostrum redeamus; cum sèculo Vi-  
ctoriano synodi Asiaticæ contenderent more Iudaico esse cele-  
brandum Pascha, Romana verò cum Italico modum illum tol-  
erandum non esse: Gallicanæ autem existimarent non quidem se-  
quendum, sed tolerandum; quis quæ totantæ controvèrsiæ, difi-  
ficilimis illis temporibus, quibus generale concilium cogi non-  
dum poterat, exitus aliquando fuisset, nisi vnum ducem Ponti-  
ficem Romanum omnes Ecclesiæ secutæ fuissent? Certè & conci-  
liij Nicæni Patres, vt ipsi in epistola ad Alexandrinam Ecclesiam  
testantur, Romanum morem in decreto Paschatis secuti fuerunt.

## VII. PROBATIO TVBING.

CC. Verum pergit Tubingensis frustra bacchari in Christi  
the. 64. 65. 66. vicarium, vt eius Calendarium è manibus suorum excutiat. Pa-  
et seqq. multis pa, inquit, Romanus est iuratus Ecclesiæ Christi hostis, ipsissimusq; An-  
tichristus: Calendarium igitur eius nequaquam à nobis est suscipiendum,  
ne lupum pro Pastore agnoscere videamur. Probat antecedens. Pri-  
mò, quia sacra scriptura de Antichristo testatur, quod putabit se posse mu-  
tare tempora, at correctione Calendarij à Gregorio XIII. mutata sunt tem-  
pora, ergo &c. II. quia olim & nunc quoque à multis Spiritu sancto or-  
natis, & doctrina multiplice præstantibus viris Antichristianismi est con-  
uictus. III. quia publico totius imperij Romani decreto per Ludouicum  
Cæarem, Antichristus teste Ioanne Auentino, est declaratus. IIII. quia  
potestatem & Iurisdictionem, quam querit amissam in Germania, dolo  
malo, imposturis, vi acquisiuit, morapuit, Cæsaricida Phoca, qui potesta-  
tem tribuendi non habuit, eam conferente.

CCII. In hac non argumentatione, sed cauillatione Dispu-  
tator noster proram & puppim thesium suarum constituisse vi-  
detur

detur ( vnum enim è primis principijs uouæ istius Theologæ Lutheranæ & Caluinianæ est , Papam esse Antichristum ) Quam multis more suo conuictorum & maledictorum sordibus extra propositum propter Friburgensem quendam Theologum Hagerum compleuit ; qui illum suis vel orationibus , vel disputationibus acrius pupugisse videtur . Sed ille telam , quam cum Tübingensi texere cœpit , proculdubio pertexere , si vitam ei Dominus concederit , non reformidabit . Nos quoniam totam istam Camarinam hic coïmouere nolumus , ne extra chorūm , ut aiunt , saltemus , punctim singulas probationes , quasi obelo confondiemus .

CCIII. Primam quidam : quia locus Danielis de mutatione vel abrogatione insignium quorundam temporū , hoc est , festorum Christianorum propriè intelligitur , quibus memoria Passionis , Resurrectionis , ascensionis , aliaque mysteria anniuersario cultu renouantur . Quæ festa Calendarij correctione Pontifex Romanus non mutauit , nec abrogauit : sed potius mutarunt & abrogarunt ea Lutherani & Caluiniani veri præcursorès Antichristi . Hieronymus certè & Theodoretus locum exposuerunt de summa Antichristi superbia , quæ leges Dei , cæmonias , tocamque Rempublicam funditus euertere conabitur .

CCIV. Nec potest Calendarij correctione ad illam Antichristi notam pertinere ; nisi faciamus & Nicenos Patres , qui quoque tempora ipsorum opinione correxerunt , & imperatorem ordinęque imperij Antichristianos , quandoquidem hic Disputator optat , ut ab imperio Calendarium corrigitur & publicetur .

CCV. Alteram vero , qui apost Lutherum , Brentium , Illyricum , Heerbrandum , aliosque nouatores è nostris multi Spiritu sancto inspirati , & doctrina præstantes Doctores euicerunt sacrarum literarum Patrumque testimonijs , Romanum Pontificem non posse dici Antichristum . Legat Iacobus , cum ocio abundant , librum octauum de visibili Monarchia doctissimi Nicolai Sanderi ; vel si thesibus magis delectatur , disputatione Mungtinam de nouo & falso Antichristo nuper editam . Quæ duo scripta nemo Pseudoeuangelicorum hactentis refutauit .

**CCVI.** Tertia probatio plena rimarum est. Neque enim tantum apud nos est Auentinus scriptor huius seculi. Pontificum Romanorum hostis, semihæreticus, ut fidem eius fabulae mereantur. Tubingensi Professori citandus potius erat Tubingensis praepositus Ioannes Nauclerus, Auentino multo antiquior, & à mendacijs alienior, qui historiam Ioannis XXII. & Ludouici Bauaricopiose est prosecutus, & huius fabulae non commeminit.

**CCVII.** Præterea, si daremus à Cæsare Ioannem Pontificem declaratum esse Antichristum, vel iure declarari potuisse, quorum utrumq; falsum est: tamen inde non efficitur omnes Romanos Pontifices fuisse Antichristos; nisi velis ex eo quod in Apostolorum numero Iudas fuit proditor, Apostolos reliquos facere proditores: & ex eo quod in Virtenbergensi Ducatu est forte Prædicans aliquis fur & latro, omnes Prædicantes Tubingenses facere fures & latrones.

**CCVIII.** Si quid à Pontificibus aliquando Romanis non è va-  
gacj et hætoris si quid ab Ioanne XXII. peccatum fuit, ut ab homine:  
si asperior, si iniquior fuit Cæsarianis patribus, non probamus,  
sed uti conuenit, ne Chamisimus, excusamus. At Christianū fu-  
isse, Catholicum fuisse, nullum errorē publico decreto, uti Pon-  
tifices solent, defendisse, certum; quicquid Caluinus mendaci-  
simè, alijq; nugentur. Pro Antichristo autem illam à Ludouico  
Cæsare, vel imperio habitum non fuisse, inde clarissimè proba-  
tur, quod maior imperij pars ei postea imperium abrogavit. Ad  
hæc quod ipse per se & alios apud Ioannem eiusq; successores sa-  
pissim egerit teste Nauclero, ut ab excommunicatione absolu-  
etur. Quis autem querat absolutionem ab Antichristo?

**CCIX.** Quod ergo Ludouicus tanta animi impotentia, Oreste vel Athamante furiosior, conductis quoque stipendio in hanc rem temerarijs hominibus, Theologis, Poetis, Iureconsultis, rabulis, ciuibus Romanis Pontificijs hostibus (nam Roma deserta tum Pontifices Auinione degebant in Gallijs) tanquam in hæ-  
ticum & Antichristi ante ambulonem sit bacchatus, mirum vi-  
deri non debet; utpote qui paulò ante cum venerabili inceptore  
Occam, alijsque aëfclis à Ioanne Papa fuerat publico anathema-  
te à

te à Christi corpore abscissus, & Sathanæ traditus, ut spiritus eius  
fatuus fieret in die Domini.

CCX. Totam historiam Ludouici breuiter fide dignus scri-  
ptor Trithemius, comprehendit his verbis; *Ludouicus*, inquit, *Im-  
perator vxorem potentis cuiusdam viri abstulit, quocum annis unde-  
cim matrimonialiter vixerat, eamq; Ottoni filio suo copulauit, ut eo pacto* In Chron.  
*Ducatum Carinthia & Tirolis ad mulierem iure hereditario deuolutum ob-  
tineret. Ioannes autem Papa commotus tanta iniquitate, cum nec monendo  
nec comminando quicquam proficeret, communionem Ecclesie Ludouico  
interdixit. Ludouicus autem anno Domini 1327. Romam profectus, ibi q;  
à simplici quodam Episcopo, reclamante Papa coronatus, in concilio suorum  
Ioannem XXII. temeraria presumptione depositus, eundemque hereticum  
& schismaticum denunciari cum fecisset, Petrum Corbarium ordinis Mi-  
norum Papam constituit. Qui post discessum Imperatoris in Germaniam  
Pisii relitus, & à Bonifacio Comite Pisano Auinionem ad Ioannem Pa-  
pam adductus, errore prius recognito, in carcere vitam cum morte commu-  
tauit. Persistente autem Ludouico in contumacia sua, ex Clementis Papæ  
VI mandato maior Principum pars legit Carolum 4. qui etiam post Lu-  
douici mortem, quæ breui subsecuta est, pacificè imperauit solus : Licet fa-  
ctio Ludouici primum Edouardum Anglia Regem, deinde Marchionem  
Misnensem ac deniq; Guntherum comitem de Swartzburg ei opponere co-  
nata esset. Deus igitur auctor fuit, ut Pontificis Romani senten-  
cia vinceret.*

CC XI. Postrema Probatio, purum putum, ut latinè dicam,  
mendaciū est: nam longè ante Phocæ Imperatoris tempora etiā  
ipſi Imperatores Pontificem, vel Ecclesiam Romanam pro capite  
& principe omnium Ecclesiarum habuerunt. Martianus enim  
in epistola ad Leonem Papam sic scripsit. Tuam sanctitatem princi-  
patum in Episcopatu fidei obtinentem inuitamus atq; rogamus ad celebran-  
dam synodum te autore. Et Valentianus III. in epist. ad Theodo-  
sum iuniorem, Romanæ, inquit, ciuitatis Episcopo, Principatum sa-  
cerdotij super omnes antiquitas contulit. Iustianus quoque constit.  
Nouell. 131. summi, inquit, Pontificatus apicē apud Romanū Pontificem  
esse, nemo est, qui dubitet. Constantinus etiā III. in scripto ad synodū  
Romanā, Agathonē Papam vocat ypniversalē principem Pastorum. In  
I ii conci-

concilio vero Calcedonensi actione 16. omnium Episcoporum vox est, *Omnem primatum & honorem præcipuum Romano Episcopo deberi.*

CCXII. Quod autem Phocas noua constitutione declarauerit & constituerit Romanam Ecclesiam esse caput omnium Ecclesiarum, id rogatu Bonifacij Papæ factum est, eo quod Patriarcha Constantinopolitanus per summam arrogantiam hanc honoris prærogatiuam Romanæ Ecclesiæ detrahere fit conatus; cum se vniuersalem Patriarcham appellare non dubitauit. Sic enim scribit Paulus Diaconus rerum humanarum lib. 8. *Phocas rogante Papa Bonifacio statuit sedem Romanae Ecclesiæ, ut caput esset omnium Ecclesiarum, quia Ecclesia Cōstantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat.*

CCXIII. Superest ultima eaque ineptissima Doctoris Tubingensis cauillatio ex locis communibus Rhetorum, Necessario & utili deprompta. *Nec enim tanta est, inquit, Calendarij vel necessitas vel utilitas, ut propter istud totus orbis Christianus sit turbandus.*

Th. 171. & seq. CCXIV. Quæ quo propter Calendarium Gregorianum in toto orbe fuit turbatio? Nunquid potius totus orbis summa confessione & silentio illud recepit, exceptis pauculis protestantium in Germania Ecclesijs? aut totus orbis, finibus Tubingæ, alijsque pauculis Germaniæ vrbibus continetur? Sed inquit, experientia testatur, & res loquitur, confusionem horrendam, dissipationem ordinis in imperio, euersionem pacis, bella intestina ex isto Calendario consequæ esse. Cuius verò culpa illa consecuta sunt, nisi paucorum Prædicantium clamoribus, & auxiliarijs Tubingensium scriptis, qui suis potius cupiditatibus, animiq; perturbationibus, quam omnium nationum pulcherrimæ confessioni obsequi voluerunt?

Th. 184. 185. CCXV. At, inquit, ob rem tam parum necessariam non debuit dare occasio perturbationibus. Potissima enim correcti Calendarij causa est, ut Paschatis dies eacelebretur, tempore, quo à Concilio Nicæno est decretum. Sed nec vera, nec perfecta est illa Paschatis correctio. O incredibilem sapientiam Tubingensium, qui constitutionem nobis veriorem, perfectioremq; Paschatis breui in lucē pducturi sunt quam 318. doctissimi, Sanctissimiq; Patres in Nicæna synodo confecerint.

CCXVI. At cur non est perfecta? Quia non respondet, inquit illi

illi Paschati, quod Christus cum suis celebravit, Apostolis, sed diebus nihilominus differt aliquot. Quid audio? Ergone cum haereticis quadragecimatis contra traditionem Apostolicam, contra decretum Nicenum, contra totius orbis consuetudinem, celebrandum est Pascha XIII. Lunacum Iudeis? Christus enim ritu Iudaico Pascha suum celebravit.

CCXVII. Siautem cum Iudeis agendum Pascha est, secundum veriorum, perfectioremque Herbrandinam correctionem cur nemo Lutheranorum illam correctionem hactenus secutus est? Cur nullus Mathematicorum siue Catholicorum, siue Lutheranorum hanc nouam corrigendi formulam prescripsit?

CCXVIII. Cur sui immemor, nesciens de quibus affirmet vel loquatur, in star Proiectum statim mutat sententiam, dum subiungit, non esse opus ut exacte respondeat Paschati à Christo celebrato, quia Mosaicum est, ideoque nihil ad nos. quod non est aliud, quam dicere, non esse opus, ut sit perfecta & vera correctio. Utq; magis se impliceat, rursum addit, Imò Matth. 15. planè habetur contrarium, frustra inquit saluator, colunt me docentes doctrinas hominum. Bella sanè oratio, quæ non alio spectat, quam ut nouus iste Aërius vel Origenista nobis persuadeat, non esse neque necessarium, neque utile, ut vllum tandem Pascha celebremus.

CCXXIX. Certè nullo grauiore argumento necessitate, vtilitatemque correcti Calendarij ostendimus, quam quod inde ab Apostolorum temporibus, Pontificibus Maximis, Provincialibus synodis, totius orbis concilio, optimo Imperatori Constantino hæc cura & solicitude incubuit, ut celebrationi Paschæ is dies deputaretur, qui nunquam in Pascha Iudeorum, hoc est, in XIII. Lunam, quo & Christus celebravit, incideret. Satis enim magna erat necessitas sic diem illum constituere, ne cum Iudeantibus colludere videremur: sicut magnâ hic singit Heerbrandus necessitatem non recipiendi Calendarij à suis, ne colludere videantur cum aduersarijs & hostibus: unde periculum immineat ne tandem trans fugæ ad nostra castra & signa transeant.

CCXX. Nunc verò alia necessitas corrigendi Calendarij ac-  
I 3 celsit,

the. 169

cessit, quia nisi tandem corrigatur, futurum est, ut alienissimis  
anni temporibus festa celebrentur, ac resurgentis quidem Chri-  
sti feriae in hyemem, Nascentis vero in aëstatem, quod certissi-  
ma apodixi demonstrant Mathematici, transferantur.

CCXX. Sed quia pergit noster Disputator in eptissimè, per-  
inde atque si nec à limine quidem salutasset Mathesin, persuade-  
re stipit bus errorem illum tantum esse solæcissimum Astronomicum  
qui nihil incommodi ex veteri tot seculorum visitato Calendario siue in

Tb. 183. 167. Repub. siue in commercijs negotiatorū, siue in exercitijs publicorū iudiciorū  
attulerit, vel allatus sit, atq; ideo vetus Calendariū nō esse temerè mutan-  
dū, sed retinendū; ascribā, vt aliquis tandem respondēdit finis ver-  
ba Doctissimi Astronomi Ioannis Stoesseri Iustingensis erro-  
rem veteris Calendarij grauissimè deplorantis, cui proculdubio,  
vt Professori antè natum Lutheri Euangelium apud Tu-  
bingenses celeberrimo, potius quam demonstra-  
tionibus Mathematicis, Tubingensis  
Professor fidem accommo-  
dabit.

IOANNES STOEFLE-  
RVS IVSTINGENSIS IN  
Calendario Romano propositione  
XXXIII.

Faciant igitur Christianæ Reipublicæ summi principes, Bea-  
tissimus Pater & Pontifex Leo X. & sacratis imus Cæsar  
Diuus Maximilianus secundum exemplum sanctorum Pa-  
trum Nicenæ synodi, ex numeroſa Theologorum & Mathema-  
ticorum, vita sanctimonia, & omni modæ eruditione conspicuō  
rum multitudine elegant viros harum rerum peritos, qui  
errores Romani Calendarij & celebrationis Paschæ corrigant,  
& nouos Canones pro decima quarta Luna indaganda condant,

aut